



**CONGREGATIO
DE INSTITUTIONE CATHOLICA
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)**

**NORMAE
DE INSTITUTI THEOLOGICI AGGREGATIONE**

I. ORDINATIO CANONICA AGGREGATIONIS INSTITUTI THEOLOGICI

1. Aggregatio Instituti Theologici regitur articulo 63 Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » atque articulis 45 § 1, a) et 48 « Ordinationum » eidem Constitutioni annexarum, necnon iis quae in praesenti documento definiuntur ac illustrantur, ratione simul habita probatae praxis in Theologicis Facultatibus de re hucusque inductae.

II. NOTIO ET PECULIARITATES AGGREGATIONIS¹

2. Aggregatio Instituti Theologici est eius coniunctio cum Facultate Sacrae Theologiae, ad theologiam catholicam tradendam excolendamque relate ad primum et secundum cyclum theologicum, ad respondentes gradus academicos per Facultatem consequendos, seu Baccalaureatum et Licentiam Sacrae Theologiae (cf. art. 48 § 1 « Ordinationum »). Quare obiectum proprium aggregationis sunt tantum primus et secundus cyclus theologicus.

3. Institutum aggregatum, nisi aliter in propriis Statutis vel in conventione cum Facultate aggregante statuitur, omnibus patet, sive clericis sive laicis, qui legitimo testimonio praediti, vitae moribus ac studiis praeviis idonei sint qui primo cyclo theologico Facultatis adscribantur (cf. art. 31 « Sap. Chr. » et art. 24 « Ordinationum »).

4. Facultatis aggregantis officium et munus est Instituto aggregato diligenter assistendi ac invigilandi ut eius condicio academica apte et iugiter servetur. Quo facilius hoc fiat, aggregatio intra eandem regionem ordinarie instituenda est.

5. Studia theologica Instituti aggregati ordinari debent iuxta normas Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » annexarumque « Ordinationum », in iis quae ad primum et secundum Facultatis cyclum attinent. Proinde condicio seu natura studiorum Instituti aggregati est proprie academica et scientifica, eodem modo ac primus et secundus cyclus Facultatis Sacrae Theologiae aggregantis.

6. Studia primi cycli Instituti aggregati per quinquennium seu decem semestria protrahuntur, complectentia scilicet biennium philosophicum et triennium theologicum institutionale. Si Institutum triennium solummodo theologicum institutionale complectitur, biennium philosophicum antea expletum sit oportet (cf. art. 72 « Sap. Chr. »).

¹ Quae de Facultati Theologicae aggregatione statuuntur, valent etiam, congrua congruis referendo, pro aggregatione *aliis* Facultatibus. Aggregatio omnino distinguenda est ab Affiliatione, quae utique minoris est momenti, et ab Incorporatione (cf. art. 47 et 48, 2 « Ordinationum »). Pro affiliatione firma manent ea quae in documentis Congregationis de Institutione Catholica, « Notio affiliationis theologicae », « Conventio » et « Normae servandae » inscriptis, die I m. Augusti, a. D. MCMLXXXV datis, continentur.

III. CONDICIONES ACADEMICAE INSTITUTI AGGREGATI

7. Aggregatio decerni nequit nisi agitur de Instituto peculiariter instructo ad gradus Baccalaureatus et Licentiae consequendos, ita ut certa spes sit fore ut ex eius conexione cum Facultate optatus finis vere obtineatur (cf. art. 48 § 3 « Ordinationum »). Proinde ea quae sequuntur servanda sunt.

a) Sedulo perpendendum est an necessitas vel vera saltem utilitas Instituti adsint, quibus aliter satisfieri nequeat.

b) Numerus et qualitas Docentium Instituto addictorum tales habeantur oportet, ut reapse sive primo cyclo institutionali, sive secundo specializato apte satisfacere possint.

c) Docentes disciplinarum theologicarum Instituto stabiliter addicti saltem duodecim numerari debent.² Oportet ut iidem Doctoratum congruentem consecuti sint (cf. art. 17 « Ordinationum »), certis documentis publici iuris factis se idoneos ad investigationem scientificam probaverint (cf. art. 25 § 1, 3 « Sap. Chr. ») atque ab aliis muneribus nimis onerosis liberi sint ac maneant.

d) Congruus studentium numerus requiritur.

e) Apta subsidia scientifica Instituto praesto sint, in primis Bibliotheca in re theologica instructa atque academicis secundi cycli necessitatibus congruenter accommodata.

8. Condiciones academicae studiorum, iuxta art. 63 Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » ab Instituto aggregato implenda, eae sunt quae in articulis 66-74 eiusdem Constitutionis et 50-54 « Ordinationum » eidem annexarum continentur, relate utique ad primum et secundum cyclum.

9. Horae hebdomadariae paelectionum et seminariorum in primo cyclo saltem duodevinti et in secundo saltem duodecim debent esse.

10. In secundo cyclo Instituti aggregati, aliqua specializatio in re theologica praebenda est, cum Facultate aggregante determinanda et a Congregatione de Institutione Catholica approbanda.

11. Regimen Instituti aggregati peculiaribus Statutis, a Consilio Academico Facultatis aggregantis et dein a Congregatione de Institutione Catholica approbandis, determinatur, cauto tamen ut ea quae in iis praescribuntur Facultatis Statutis consentanea sint. Auctoritates Academicae Facultatis, personales et collegiales, sunt ipso iure Auctoritates Instituti aggregati, cuius tamen Auctoritates particulares sunt Moderator et Director una cum Consilio Instituti. Harum omnium Auctoritatum munera et officia in Statutis definiuntur. Pro Directore confirmatio Sanctae Sedis requiritur.

IV. A QUIBUS AGGREGATIO ET GRADUS ACADEMICI CONFERANTUR

12. Aggregatio conceditur peculiari Decreto Congregationis de Institutione Catholica (cf. art. 63 « Sap. Chr. »).

13. Aggregatio non conceditur nisi Institutis, quae per congruum temporis spatium instructa et apta ad aggregationem obtainendam se demonstraverint, habita simul favorabili sententia Ordinarii loci et Conferentiae Episcopalis.

14. Postulatio vero praesentatur Congregationi a Magno Cancellario Facultatis aggregantis, postquam Consilium Academicum Facultatis (et Universitatis, si Facultas in aliqua Universitate viget,) omnia quae requiruntur diligenter exploraverit atque probaverit.

² Id est, de more, pro Sacra Scriptura (duo Docentes), Theologia Fundamentalis et Dogmatica (tres Docentes), Theologia Morali et Spirituali (duo Docentes), Liturgia (unus Docens), Iure Canonico (unus Docens), Patrologia (unus Docens), Historia Ecclesiastica (unus Docens), Theologia Pastorali (unus Docens).

15. Gradus Baccalaureatus et Licentiae Sacrae Theologiae conferuntur a Facultate aggregante, cuius ideo denominatio seu inscriptio (immo et Universitatis, si Facultas pars est alicuius Universitatis,) in graduum diplomate referenda est.
16. Gradus in Sacra Theologia collati iidem sunt ac qui in Facultate aggregante conferuntur in fine primi et secundi cycli. Denominatio canonica « Baccalaureatus » et « Licentiae » aliis vocabulis, in praxi universitaria civili loci usitatis, substitui potest, dummodo
 - a) reapse Baccalaureatui et Licentiae canonicis aequivaleant, in primis ad amplitudinem studiorum quod attinet, et
 - b) nullam aequivocationem gignant cum fortasse homonymis gradibus civilibus loci, nec cum denominatione gradus canonici tertii cycli, seu Doctoratus.
17. Denominationes locales Baccalaureatus et Licentiae — quae eadem esse debent pro omnibus Facultatibus Theologicis eiusdem nationis vel regionis culturalis (cf. art. 48 « Sap. Chr. ») — approbatione indigent Congregationis de Institutione Catholica.

V. ITER AD AGGREGATIONEM OBTINENDAM VEL RENOVANDAM

A) *Instituti aggregandi praevia perpensio et approbatio*

18. Facultas Theologica aggregans, per suum Delegatum vel Commissionem pro Aggregatione, in primis accurate exploret an Institutum Theologicum aggregandum praescriptis condicionibus academicis satisfaciat.
19. Si exitus feliciter evaserit, Magnus Cancellarius Facultatis (vel Universitatis, si Facultas in aliqua Universitate vigeat,) ad Congregationem de Institutione Catholica mittat:
 - a) relationem (una cum iudicio Facultatis) de explorato et probato statu academico Instituti aggregandi;
 - b) Statuta Instituti aggregandi;
 - c) integrum studiorum philosophicorum et theologicorum programma, sive primi sive secundi cycli Instituti, in singulos annos distinctum, additis horis pro unaquaque disciplina in universum requisitis atque « specializatione » secundi cycli selecta.
 - d) curricula vitae, studiorum et operum omnium Docentium Instituti;
 - e) numerum studentium in singulos annos distinctorum;
 - f) nomina in loco usitata, quibus gradus Baccalaureatus et Licentiae canonici fortasse reddendi sunt.

B) *Actio Congregationis de Institutione Catholica*

20. De more aggregatio conceditur ad quinquennium et ad experimentum; quo feliciter transacto, ad alterum quinquennium renovatur. Si deinde omnia probe evenerint, aggregatio ad tempus indeterminatum conceditur. Si condiciones academicae Instituti, praesertim numerus studentium et Docentium, necnon scientifica qualitas, a Facultate aggregante perpendendae, desunt, aggregatio a Congregatione de Institutione Catholica revocatur.
21. Antequam aggregationis Decretum feratur, pro Docentibus Instituti aggregandi Sanctae Sedis declaratio « Nihil obstat ad docendum » requiritur, deinceps iteranda iuxta normas quae in articulis 27 et 28 Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » et in Statutis Facultatis aggregantis continentur.

22. Ad aggregationem renovandam requiritur congrua petitio Magni Cancellarii Facultatis aggregantis (vel Universitatis), ampla relatione addita de exitu aggregationis interim obtento.

Romae, die XXIII, mensis Iunii, a. D. MCMXCIII.

Praefectus
PIUS Card. LAGHI

A Secretis
✠ JOSEPHUS SARAIVA MARTINS

Appendix

QUAEDAM NOTANDA de secundi cycli theologici specializatione

- a) Secundus cyclus Instituti Theologici aggregati — pariter ac Facultatis aggregantis — dicitur « specializationis », eo quod profundius alicuius disciplinae theologicae studium complectitur ac simul usu scientificae investigationis methodi plenius studentes exercet. Quapropter in eo disciplinae speciales secundum propriam specializationis indolem traduntur, et simul seminaria et exercitationes habentur ad scientificae investigationis theologicae usum acquirendum (cf. art. 40, b et art. 72, b « Sap. Chr. »).
- b) Tria igitur requiruntur ad secundum cyclum constituendum, scilicet:
 - specializatio seligenda;
 - ratio studiorum eidem congrua conficienda;
 - methodus scientifica plenius adhibenda.
- c) Specializationis obiectum Instituti Theologici aggregati est aliqua disciplinarum theologicarum sectio (cf. art. 40, b « Sap. Chr. »).
- d) Ratio studiorum secundi cycli Instituti aggregati eo tendere debet ut studentes vere periti iuxta specializationem selectam fiant, sive quoad disciplinae institutionem, sive praesertim quoad scientificae investigationis theologicae methodum eiusque usum. Proinde disciplinae seu cursus qui in secundo cyclo traduntur « speciales » dicuntur, aliter ac « generales », qui ad primum cyclum institutionalem pertinent.
- e) Quapropter sedulo curandum est ut cursus speciales congruenter et efficaciter ad finem conspicient tradendi studentibus altiorem institutionem in disciplina pro specializazione selecta et in metodo scientifica propria plenius quam in primo cyclo adhibenda (cf. art. 40, b « Sap. Chr. »).
- f) Ad usum autem methodi theologicae acquirendum quod attinet, apta et sufficientia seminaria et exercitationes habenda sunt una cum quadam commentatione conscripta.
- g) In fine secundi cycli magni intererit comprobare studentem scientificam plenamque formationem acquisivisse, eidem cyclo congruam.